

» credimus abstinuissent, si considerassent attente ea, quae apud  
» nos in beato Petro a Domino nobis concessa ligandi atque sol-  
» vendi juxta meritorum exigentiam plenitudo residet potestatis,  
» qua non extollimur ad superbiam, sed ad providentiam excita-  
» mur: et illius exemplo qui omnes salvat et neminem vult perire,  
» libentius utimur ad solvendum, quam ligandum: et voluissent  
» diligentius intueri qua facta nostra prosequi perfectione velimus,  
» quodque eos ut peculiares Romanae ecclesiae filios semper ges-  
» simus in visceribus charitatis et gratiis ac favoribus prosequi  
» non cessavimus. Nos igitur, qui disponente Domino, qui nos  
» unxit oleo laetitiae p[re]a[er]e consortibus nostris, in eo sumus officio  
» constituti, ut singularum animarum saluti consulere, justitiam  
» colere et iniquitatem odire debeamus; attendentes quod de mi-  
» noribus ad maiores judices dumtaxat appellare legalis permittit  
» auctoritas, et propterea inhibet ab imperiali et praefecto praeto-  
» riò judicio appellari, et quod non homo, sed is dumtaxat qui  
» solo verbo fecit coelum et terram, apostolicam sedem et in ea  
» sedentem praetulit universis etiam conciliis, quae ab ea robur  
» accepisse, sanctorum patrum decreta testantur, et etiam Gelasius  
» papa contra Acacium Fausto legato scribens, dum ait: Ipsi sunt  
» canones, qui appellations totius Ecclesiae ad hujus sedis exa-  
» men voluere deferri, ab ipsa autem nunquam appellare debere  
» et ipsam de tota Ecclesia judicare, de ipsius autem judicio nun-  
» quam judicari senserunt. Et dum scribit ad orientales episcopos  
» dicens: Sedem praedictam nulla synodo praecedente solvendi  
» quos synodus inique damnaverat et damnandi quos oportuit nulla  
» existente synodo habuisse facultatem. Testantur etiam quamplu-  
» rimorum antiquorum conciliorum epistolae, in quibus verba illa  
» apponuntur: Salva in omnibus apostolicae sedis auctoritate: et  
» quod de iis et aliis quampluribus juribus et canonibus ac auctori-  
» tatibus piae mem: Pius papa secundus praedecessor noster dudum  
» de fratum suorum S.R.E. cardinalium et praelatorum ac jurispe-  
» ritorum tunc romanam curiam sequentium consilio in conventu